

ANNO NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE  
IOANNI GERLACO  
EV TENNEVERO  
S. P. D.  
IO. GEORGIVS WALCHIVS,  
ELOQVENTIAE ET POESEOS  
P. P. O.

Qui honestis studiis ad ingenii decus contendunt rectamque  
morum disciplinam pro eo, ac par est, sequuntur, industriæ  
huius suauiorem capiunt fructum ac merito impetrant testimonium  
laudi, qua probus præcipue animus semper viget, consecratum,  
neque id non agnouisti, qui toto studiorum cursu singulare virtu-  
tis ornamentum seruasti, nec solum prudenter litteris dedisti ope-  
ram, sed & pietatem, modestiam, temperantiam, a quibus iuuen-  
tus saepe aliena est, magna mentis contentione secutus. cuius in-  
dustriæ, quam ingenii culturæ consecrasti, præsens dissertatio, &  
argumenti dignitate & scribendi ratione præclara exhibit specimen;  
mores autem tuos optimos, per quos voluptates & illecebræ a con-  
spectu & consuetudine tua longissime semper abfuerunt, mecum  
in iisdem ædibus per tres annos coniunctus mihi satis probasti.  
quo vitæ instituto obseruasti, carissime EV TENNEVERE,  
quod grauiter dixit ANTISTHENES, tales esse studiorum ratio-  
nes, vt a cultu vitæ haud possint separari; sed apte sibi congruant  
morumque similitudine ex consensu, velut vinculo quodam con-  
iungantur. quare Tibi gratulor toto animo, in spem adductus fir-  
miorem, fore, vt diuinis auspiciis patriæ in cœtus diuinioris salu-  
tem atque incrementa multa adferas commoda, menteque Tua ad  
summi numinis voluntatem vnice composita, res Tuas explices fe-  
licissime. augebis multa accessione has laudes, pietatem atque in-  
dustriam firma tenebis possessione, quod vt fiat, precor Tibi sem-  
per cælestem benignitatem, qua vires & corporis & animi corro-  
borari atque augeri possunt. Ienæ d. XXVIII. octobr. anno in-  
stauratae salutis MDCCXXI.